

DOMINVS ET SERVI

SCAENA PRIMA

I

Persōnae: Iūlius, Aemilia, Mēdus.

Sacculus Iūlii nōn parvus est. In sacculō eius est pecūnia. Iūlius pecūniam in sacculō habet.

Aemilia sacculum videt Iūliumque interrogat: “Quot nummī sunt in sacculō tuō?”

Iūlius respondet: “Centum.”

Aemilia: “Num hīc centum nummī sunt?”

Iūlius pecūniam numerat: “Ūnus, duo, trēs, quattuor, quīnque, sex, septem, octō, novem, decem. Quid? Decem tantum?”

Iūlius rūsus pecūniam numerat: “Ūnus, duo, trēs, quattuor... novem, decem.” Numerus nummōrum nōn est centum, sed decem tantum.

Iūlius: “Quid? In sacculō meō nōn centum, sed tantum decem nummī sunt! Ubi sunt cēterī nummī? Servi meī ubi sunt?”

sacculus



pecūnia

sacculus: in sacculō eius : Iūlii



nummus

numerat < numerus

I	ūnus
II	duo
III	trēs
IV	quattuor
V	quīnque
VI	sex
VII	septem
VIII	octō
IX	novem
X	decem

Mēdus: “Servus tuus Mēdus hīc est.”

Iūlius servum suum Mēdum videt, Dāvum nōn videt. Mēdus adest. Dāvus nōn adest, sed abest. Iūlius et Aemilia et Mēdus adsunt. Dāvus cēterīque servī absunt.

Iūlius: “Quid? Ūnus servus tantum adest! Ubi est Dāvus? Dāvum vocā!”

25 Mēdus Dāvum vocat: “Dāve!” sed Dāvus Mēdum nōn audit neque venit.

Mēdus rūrsus Dāvum vocat: “Da-ā-ve! Venī!”

Dāvus venit. Iam duo servī adsunt.

SCAENA SECUNDA

30 *Persōnae: Iūlius, Aemilia, Mēdus, Dāvus.*

Dāvus, quī dominum suum nōn videt, Mēdum interrogat: “Quid est, Mēde?”

Mēdus: “St! Dominus adest. Salūtā dominum!”

Servus dominum salūtat: “Salvē, domine!”

35 Dominus servum salūtat: “Salvē, serve!”

Dāvus: “Quid est, domine?”

Iūlius: “St! Tacē, serve! Tacē et audī!” Servus tacet.

Iūlius: “In sacculō meō sunt decem tantum nummī.

Ubi sunt cēterī nummī meī?”

40 Dāvus tacet, neque respondet.


Aemilia: “Respondē, Dāve! Dominus tē interrogat.”

Dāvus respondet: “Pecūnia tua hīc nōn est. Interrogā Mēdum!”


ad-est = hīc est
ab-est ↔ ad-est
ad-sunt = hīc sunt
ab-sunt ↔ ad-sunt



servus dominum salūtat




nūllum : nōn ūnum
verbum = vocābulum



Dāvus sacculum in
mēnsā pōnit

ecce sacculus = vidē: hīc
est sacculus



baculum

eius : Dāvī



baculum et sacculus
in mēnsā

bonus -a -um = probus

Iūlius Mēdum interrogat: “Ubi sunt nummī meī, II
Mēde?” Mēdus nūllum verbum respondet. 45

Iūlius rūrsus eum interrogat: “Ubi est pecūnia mea?
Respondē, serve!”

Mēdus Dāvum accūsāt: “Pecūnia tua in sacculō Dāvī
est. Dāvus pecūniam tuam habet.”

Aemilia: “Audī, Dāve! Mēdus tē accūsāt.” 50

Dāvus: “Quem Mēdus accūsāt? mē?”

Iūlius: “Tacē, Mēde! Servus quī servum accūsāt im-
probus est!” Mēdus tacet.

Iūlius Dāvum nōn accūsāt, sed interrogat eum: “Est-
ne pecūnia mea in sacculō tuō, Dāve?” 55

Dāvus: “In sacculō meō nōn est pecūnia tua, do-
mine.”

Iūlius: “Ubi est sacculus tuus?”

Dāvus: “Hīc est. Ecce sacculus meus.”

Iūlius: “Sacculum tuum in mēnsā pōne!” 60

Dāvus sacculum suum in mēnsā pōnit. Iam sacculus
eius in mēnsā est. Iūlius baculum suum in mēnsā pōnit.
Baculum dominī in mēnsā est.

Dāvus: “Vidē: in sacculō meō nūlla pecūnia est.”

Iūlius nūllam pecūniam videt in sacculō. In sacculō 65
Dāvī nūllī nummī sunt. Sacculus eius vacuus est. Dā-
vus pecūniam dominī nōn habet.

Iūlius: “Ō! Dāvus bonus servus est: pecūniam meam
nōn habet. Ecce nummus tuus, Dāve!” Iūlius ūnum
nummum pōnit in sacculō Dāvī. Iam sacculus Dāvī nōn 70

est vacuus: in sacculō eius est ūnus nummus. Dāvus laetus est.

Iūlius: “Sūme sacculum tuum et discēde, bone serve!” Dāvus sacculum suum sūmit et discēdit.

- 75 Mēdus baculum, quod in mēnsā est, videt. Mēdus quoque discēdit! Cūr discēdit Mēdus? Mēdus discēdit, quia is pecūniam dominī in sacculō suō habet!

Dāvus et Mēdus absunt.

SCAENA TERTIA

- 80 *Persōnae: Iūlius, Aemilia.*

Iūlius: “Dāvus bonus servus est. Is nōn habet pecūniam meam. — Sed ubi est pecūnia mea, Mēde? Quis pecūniam meam habet?” Mēdus nōn respondet.

Iūlius: “Ubi est Mēdus? Cūr nōn respondet?”

- 85 Aemilia: “Mēdus nōn respondet, quia abest. Nullus servus adest.”

Iūlius Mēdum vocat: “Mēde! Venī!” sed Mēdus, quī abest, eum nōn audit neque venit.

Iūlius rūsus vocat: “Mē-de! Venī, improbe serve!”

- 90 Mēdus nōn venit.

Iūlius: “Cūr nōn venit Mēdus?”

Aemilia: “Mēdus nōn venit, quia is habet pecūniam tuam! Eius sacculus nōn est vacuus!” Aemilia rīdet.


Iūlius irātus est — is nōn rīdet!

- 95 Iūlius: “Ubi est baculum meum?” Iūlius baculum, quod in mēnsā est, nōn videt.

sūmit ↔ pōnit
discēdit ↔ venit

quī quae quod:
puer quī ...
puella quae ...
baculum quod...
is : Mēdus

is : Dāvus



Aemilia: "Ecce baculum in mēnsā."

Iūlius baculum suum sūmit et discēdit.

GRAMMATICA LATINA

vocātīvus (*voc*) < vocat

Dāve

-e

Vocātīvus

100

Mēdus Dāvum vocat: "Dāve!"

'Dāve' vocātīvus est. Vocātīvus: -e (nōminātīvus: -us).

Exempla: Mēde, domine, serve, improbe.

Servus: "Salvē, domine!" Iūlius Mēdum vocat: "Mēde!"

Venī, improbe serve!"

105

Imperātīvus et indicātīvus

vocā vocat
tacē tacet
discēde discēdit
audī audit

imperat ↔ pāret

imperātīvus (*imp*)
< imperat

[1] -ā -at
[2] -ē -et
[3] -e -it
[4] -ī -it

Dominus: "Vocā Dāvum!" Servus Dāvum vocat.

Dominus: "Tacē et audī!" Servus tacet et audit.

Dominus: "Discēde, serve!" Servus discēdit.

Dominus imperat. Servus pāret.

110

'Vocā' imperātīvus est. 'Vocat' indicātīvus est. 'Tacē', 'audī', 'discēde' est imperātīvus. 'Tacet', 'audit', 'discēdit' indicātīvus est. Imperātīvus: -ā, -ē, -e, -ī. Indicātīvus: -at, -et, -it, -it.

Exempla: [1] salūtā, salūtāt; [2] respondē, respondet; [3] sūme, sūmit; [4] venī, venit.

Mēdus: "Salūtā dominum!" Dāvus dominum salūtāt.

Iūlius: "Respondē, serve!" Servus respondet.

Iūlius imperat: "Sūme sacculum tuum et discēde!" Dāvus sacculum suum sūmit et discēdit.

120

Iūlius: "Mēde! Venī!" Mēdus nōn venit.

Iūlius imperat. Dāvus pāret; Mēdus nōn pāret.

PENSVM A

Mēdus ad-. Dāvus ab-. Iūlius imper-: "Voc- Dāvum, Mēd-!" Mēdus Dāvum voc-: "Dāv-! Ven-!" Dāvus ven- neque Iūlium vid-. Mēdus: "Salūt- dominum!" Dāvus domi- num salūt-: "Salvē, domi-! Quid est?" Dominus: "Tac-

serv-! Nummī meī ubi sunt?” Servus tac- neque respond-. Iūlius: “Respond-!” Dāvus: “Interrog- Mēdum!” Iūlius Mēdum interrog-: “Ubi est pecūnia mea, Mēd-?” Mēdus: “Dāvus pecūniam tuam hab-.” Iūlius: “Pōn- sacculum tuum in mēnsā, Dāv-!” Dāvus pār-: sacculum suum in mēnsā pōn-. Dāvus: “Vid-, domin-: sacculus meus vacuus est.” Iūlius: “Sūm- sacculum tuum et discēd-, bon- serv-!” Dāvus sacculum suum sūm- et discēd-.

PENSVM B

In sacculō Iūliū — est. Iūlius pecūniam —: “Ūnus, duo, trēs, —, —, sex, —, —, —, —.” In — nōn centum, sed — decem nummī sunt.

Dāvus dominum —: “Salvē, domine!” Iūlius —: “Pōne sacculum tuum in —!” Dāvus sacculum — in mēnsā —. Sacculus Dāvī — est, in sacculō — [: Dāvī] — pecūnia est. Dāvus sacculum suum — et discēdit.

Iūlius: “Mēde! Venī!” Mēdus nōn venit, quia — [: Mēdus] pecūniam Iūliū —. Iūlius baculum, — in mēnsā est, sūmit et —.

Dominus imperat, bonus servus —.

PENSVM C

Quot nummī sunt in sacculō Iūliū?

Adestne Dāvus in scaenā prīmā?

Quis Dāvum vocat?

Suntne nummī Iūliū in sacculō Dāvī?

Quid Iūlius pōnit in sacculō Dāvī?

Quot nummī iam in sacculō Iūliū sunt?

Estne vacuus sacculus Mēdī?

Cūr Mēdus discēdit?

Quem Iūlius vocat?

Cūr Mēdus Iūlium nōn audit?

Vocābula nova:

sacculus
pecūnia
nummus
mēnsa
baculum
vacuus
bonus
quattuor
quinque
septem
octō
novem
decem
habet
numerat
adest
abest
salūtat
tacet
accūsāt
pōnit
sūmit
discēdit
imperat
pāret
nūllus
eius
suus
is
quod
rūrsus
tantum
salvē
vocātīvus
imperātīvus
indicātīvus